



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90118014

§. 60. Petrus Comestor.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66377)

Sæcul. XII.
A.C. 1176.

§. LX.

Petrus Comestor.

Otto de
S. Blas. c. 12.
Chr. MS. ap.
Cl. Hemer.
p. 40. P. Co-
mes. Præfat.

Guilielmo *candidis manibus* in Cathedra Archiepiscopali Senonensis Ecclesiæ sedenti, Petrus, cognomento Comestor, id est multum manducans, celeberrimum Opus, cui nomen *Historia Scholastica*, inscripsit. Auctor se Presbyterum Trecentensem dicit, ac ab amicis suis instantissime rogatum manum huic Operi admovisse, quod Archiepiscopi iudicio emendandum subjicit. Est vero series Historiæ Sacræ, ab initio Genesis usque ad finem Actuum Apostolorum, ex ipsius Scripturæ locis & Interpretationibus marginalibus expromta, adjectis non nunquam Historiæ profanæ factis synchronis. Verumtamen hoc Opus non est simpliciter Historicum, nam Historiæ Creationis Petrus adjungit opiniones Theologorum & Philosophorum sui ævi, de Cœlo Empyreo, de quatuor Elementis, de ratione, qua formatus est Mundus, & de Statu primi Hominis. Unde sæpius narrationi suæ inserit varias explicationes, quas, quia præsumit esse veras, argumentis stabilire ne quidem conatur. Dicit non

nunquam, Platonem aut Aristotelem hæc docere, sed locum, in quo ea inveniri queant, non indicat. Sæpe Josephum Historicum in testem adducit, & complures Historias profanas non nominatis auctoribus narrat.

Sæcul. XII.

A.C. 1176.

Textus Librorum Historicorum Sacrae Scripturae in hoc Opere ferme integri referuntur; sed Auctor, sæpe a sensu Literali discedens, Sensus Allegoricos & Explicationes, a cujuslibet arbitrio pendentes, sequitur, ac Nominibus propriis falsas Etymologias tribuit. Complures fabulas affirmando commemorat, licet etiam sæpissime dubitans loquatur. Quibus omnibus non obstantibus Liber iste, etsi valde imperfectus, tanto omnium applausu exceptus est, ut per annos trecentos, tanquam Theologiae positivæ Corpus, habitus, ac Libro Sententiarum Petri Lombardi, atque Decreto Gratiani comparatus fuerit. Idque fabulæ, quæ diu fidem invenit, hos tres Scriptores fratres fuisse, occasionem præbere potuit. Ceterum Petrus Comestor, Decanus Ecclesiæ Trecensis, postea Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis anno millesimo centesimo sexagesimo quarto, postquam in Schola Theologica Magister aliquamdiu docuisset,

Ggg 2

ad

Sæcul. XII. ad Monasterium S. Victoris se recepit,
 A. C. 1176. & anno millesimo centesimo septuagesimo nono e vivis abiit, omnia quæ habebat pauperibus & Ecclesiis testamento relinquens. Sepultus est ad S. Victorem, ubi hodieque ejus Epitaphium legitur.
Rob de Maria Autis an. 1179. Hemer. de Acad. Par. p. 113.

§. LXI.

Concilium Albigense. Manichæi.

to. 10. Conc. p. 1470. Roger. Ho. ved. p. 555. Catel. Langued. li. 2. p. 350. Anno millesimo centesimo septuagesimo sexto Archiepiscopus Narbonensis, & complures Provinciæ illius Episcopi, Conventum celebrarunt, in quo Hæretici ad formam Judicii Ecclesiastici auditi & condemnati. Hi *Boni Homines* appellari volebant, ac Defensores habebant Optimates Lumbariæ, modici oppidi duabus leucis ab Albiga positi, & postea everfi, quod aliud erat a Lombasia in Vasconia, posteriore tempore in Sedem Episcopalem erecta. Sententia autem in hos *Bonos Homines* lata est a Giraldo Episcopo Albigeni, secundum opinionem electorum utrinque Judicum, Archiepiscopo Narbonensi, Episcopis Nemausensi, Tolosano, Agathensi, compluribus Abbatibus, virisque tum Ecclesiasticis tum Sæcularibus spectatissimis presentibus, ac ex civitatibus Albiga, Lumbaria,